DE
TABE DORSALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS DAMMANN

SAXO-BORUSSUS.

Opponentibus:

HOELTZEL, med. et chir. Dr., med. pract.
NETHE, med. et chir. Dr., med. pract.
GEISSLER, med. et chir. Dr., med. pract.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI OPTIMO

FRID. GUIL. DAMMANN

HASCE PAGELLAS

D. D. D.

AUCTOR.

DE TABE DORSALI.

Synonyma: Phthisis sicca, Myelophthisis, Tabes dorsi, dorsalis seu dorsualis, medullaris, coeca, postica, coxaria, ischiadica, Atrophia dorsi, medullae spinalis, paresis vel paralysis dorsalis, paralysis medullaris, Rückendarre, Lendendarre, Darrsucht, Rückenmarkschwindsucht.

SYMPTOMATA MORBI.

Tria jure stadia discerni possunt: Stadium irritationis, stadium paralyticum, stadium febrile.

Stadium irritationis. Totus aegroti animus coëundi cupiditate captus, nullius fere alius rei cogitatione afficitur. Attamen quantacunque est haec cupiditas coëundi, in ipsa seminis ejaculatione desideratur pruritus ille libidinosus solitaque titillatio, et tantopere est aucta aegroti sensibilitas, ut priusquam introitum vaginae attingat membrum virile, sperma profluat. Itaque quum sit tam flagrans desiderium coëundi, partes genitales semper fere erectae sunt, ita ut, si levissimo modo vestibus tanguntur, si urina et alvus redditur, si phantasiam ulla subit libidinosa cogitatio, si mulieres in adspectum veniunt, si equo vel curru vehuntur aegroti, seminis missio et quidem sine ullo libidinis sensu

provocetur (1). Genitalia antea inter coitum turgescentia robore suo destituuntur. Accedunt pollutiones nocturnae, imo in graviori morbo etiam diurnae. Semen ipsum, quod antea fuit sana et normali virtute, fit aquosum, liquidum, interdum cruentum caretque penetrante illo odore, sanguinis halitui simili, in quo signum vis procreativae ejus inesse constat. »*Τὸ δὲ ῥέον ὑγρὸν, λεπτὸν, ψυχρὸν, ἄχρουν, ἄγονον*« (2) »Semen infoecundum et dilutum, quale eunuchorum est« (3). Copia quoque spermatozoorum imminuta esse videtur. Quibus quidem pollutionibus et nocturnis et diurnis saepissime aegroti ad funestissimam illam opinionem adducuntur, summam sibi inesse spermatis abundantiam vimque genitalem, ita ut semper stimulentur ad libidinosam cupiditatem explendam sive coitu, sive masturbatione.

Eodem fere tempore sentitur ab aegrotis symptoma illud notissimum tabis dorsualis, quod jam ab Hippocrate, venerabili naturae observatore, adnotatum est, formicatio secundum columnam vertebralem. Dicit autem auctor librorum de morbis »*Καὶ ἢν ἐρωτᾷς αὐτὸν, φήσει οἱ ἄνωθεν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς κατὰ τὴν ῥάχιν κατέρχεσθαι δοκεῖν οἷον μύρμηκα.*« Neque vero solo formicationis sensu afficitur aegrotus, videtur etiam calida aqua superne de capite in spinam profundi. Sunt etiam, qui frigus a cervice per columnam vertebralem deorsum descendens querantur. Accedit saepe hebes dolor in inferiore dorsi regione, vel fixa quaedam pressio in certa ejus parte, sensusque inde abdomen constringens. Alii etiam gravi capitis dolore vere nervoso, doloribusque crurum lumborumque rheumatismum mentientibus afficiun-

---

(1) Tulpius, Observ. med. Lib. III., cap. 24.

(2) Aretaeus, de caus. et sign. diuturn. Lib. II. Cap. 5.

(3) Rufus Ephes. de appel. part. corp. II., 14.

tur. Interdum etiam dolores abdominis veluti colici, in lumbos desinentes adsunt, ut fere pro rheumatica vel arthritica colica haberi possint, nisi dolores essent mitiores, transitorii tantum et febris expertes. Interea corpus in dies extenuatur, macrescunt extremitates inferiores musculique dorsi, ita ut denique processus spinosi in vertebris lumborum maxime promineant. Ligamenta capsularia articulorum, praecipue femorum, crurum pedumque relaxantur et emolliuntur, sic ut articuli quasi dilabi videantur, eorumque flexio praevaleat. Cutis ipsa harum partium omnino laxa, sicca, frigida, turgorem amittit vitalem, membrumque virile mirifice tenuatur et fere evanescit.

Qua in emaciatione extremitatum inferiorum primum aegrotus queritur sensationem quandam torpentem, frigus, non aliter, ac si immersae essent in aquam frigidam, vel si plane non adessent, vel si involutae essent tegumento chartaceo sive membraneo. Qui quidem sensus postea non raro toto corpore, excepta facie percipitur. Accedit artuum lassitudo, defatigatio quaedam et gravitas, ita ut aegri uno loco diu stare nequeant. Primum igitur inquiete quadam agitati videntur, sed mox veram ejus causam in debilitate musculari positam esse intelligitur, quum defatigati residere aut corpore alieno sese sustinere cogantur. Quo quidem in stadio, quamvis sit manifesta musculorum extremitatum imbecillitas, tamen ipsa earum paralysis non adest. Nam omnes extremitatum musculi voluntati patientis etiam in stadio provectiore, subjecti sunt; potest enim, quos et quocunque vult, movere ita ut jure argumentetur I. Mueller (1), medullam spinalem integrum esse condu-

(1) I. Mueller, Lehrbuch der Physiologie II. Auflag. Bd. 1 S. 803.

ctorem oscillationis fluidi nervei, sensorio communi oriundae. Sed ut jam antea dictum, vis motuum est fracta, quae quidem, ad finem properante morbo, plane consumitur. Hic ipse igitur paralyseos modus bene distinguendus est ab aliis speciebus, in quibus, quum certo columnae, ut ita dicam, motoriae loco fluxus nervorum principii sit impeditus, musculi, qui huic parti respondent, voluntati non amplius obediunt, dum ceteri omnes omnem vim motoriam servant.

Quae quum ita sint, quum tanta exoriatur motuum debilitas, ut, quos antea facillime sustinuerat aegrotus non solum labores, sed etiam motus non ita magnam vim postulantes, e. g. equi vectationem exercitationemque in arte batuendi, non nisi summa cum difficultate exsequatur, tamen cutis sensibilitas minime est sublata. Irritamenta enim cutis mechanica persentire aeger non desinit, caloris externi gradus bene dignoscit, nec non formam indolemque externam corporum, pedes v. g. tangentium, etsi clausi sunt oculi, illico et recte percipit. Adest vero anaesthesia quaedam muscularis, ita ut aegrotus, sive stet, sive ambulet, queratur, se non bene sentire pedibus terram sed interesse inter soleas et illam corpus quoddam molle sensumque hebetans, e. g. stratum lanae (1). Virtute motoria extremorum inferiorum in dies magis imminuta, mox genua prae debilitate titubant et inflectuntur, neque raro doloribus et levibus convulsionibus afficiuntur. Observatur nunc etiam peculiaris ille ingressus, qui plerumque ab auctoribus pro tam singulari ducitur, unde diagnosis facile fieri possit.

---

(1) Romberg, Lehrbuch der Nervenkrankheiten. Berlin 1820 Bd. I., Abth. 1, S. 228.

Patientes scilicet pedes recta via promovere non possunt, sed titubante et claudicante uno cum altero arcum describunt et prius calcibus quam planta terram tangunt, si oculos claudunt, stare et sedere nequeunt, sed collabuntur, quod signum pathognomonicum tabis dorsalis Romberg primus laudavit. Quae quidem extremitatum inferiorum debilitas hunc gradum per decem, viginti pluresve annos obtinere potest, ita ut aegri etiamsi tarde et baculis vel ducibus innisi, tamen obambulare possint. Accidit quoque, ut symptomata debilitatis certo quodam tempore silere videantur, quale exemplum adnotavit E. Horn (1), qui virum observavit aetate provectiorem, bene cibos digerentem et bene nutritum, qui certis temporibus vix per sextam horae partem pedibus stare potuit, aliis horas aliquot ambulavit. Saepissime etiam tumor pedum existit hydropicus, qui quidem modo turgescit, modo collabitur. Frigoris ille sensus extremitatum interdum tam est acerbus, ut eo aegroti e somno excitentur. Extremitates inferiores magis magisque attenuatae, nonnunquam rapidis doloribus, praecipue regione genu et tarsi crucientur. Extremitatum superiorum macies hoc quidem tempore non ita est magna, sed morbi decursu quaedam musculorum imbecillitas, tremorque manuum, nisi sustentantur, exoritur.

Organorum, quae digestioni praesunt, functiones incipiente morbo plane integrae, ciborum appetitus normalis, imo auctus. Digestio autem, quo diutius morbus protrahitur, eo magis sensatione illa ingrata plenitudinis post cibos etsi parce assumtos, ructibus, qui non raro inter diem noctemque vexant aegrotum, flatibus et

---

(1) Horns Archiv. 1833 Heft 4.

retardatione alvi a conditione regulari discedit. Quare fit, ut aegroti, quamquam appetitu diminuto, cibos sibi sumendos esse arbitrantur, nunc etiam toto corpore macrescant.

Somnus inquietus libidinosis et lascivis somniis expletus, interruptus restitui non potest. Intercurrunt etiam convulsiones, quae conquassationibus electricis similes dorso oriundae aegro vehementissimo cum crepitu in capite desinere videntur. Quo fit, ut aegrotus minime recreatus surgat languoremque queratur ac summas cordis palpitationes. Memoratu autem dignum videtur tempestatem vim summam exercere in statum morbosum aegrotorum. Misere igitur se habent tempestate humida tepidaque, meliore vero conditione sunt coelo sereno et subfrigido. Jam etiam ea organa, quae nervos ab inferiore medullae parte accipiunt, debilitari incipiunt; alvi excretio retardata visque propulsiva detrusoris urinae imminuta est, ita ut urina non continuo plenove tractu, sed guttatim profluat et interrupte. Paralysis vera autem hoc in stadio non adest. Partes pudendae mirifice tenuantur et fere evanescant.

Quamquam igitur jam hoc tempore aegri miserrimam degunt vitam, multi tamen eorum onaniae irritamento resistere non possunt, sed principio cuidam, omnem rationem tollenti quasi subjecti, interitum praesentientes inanique desperatione cruciati, ad explendam cupiditatem libidinosam, incitantur. Apud eos vero, qui sero libidinem cohibent, aut apud quos irritatio ipsa exstincta est, spermatorrhoea tamen perstat. »Sine venere, sine nocturnis imaginibus tabes hominem consumit (1).« Quae quidem symptomata, quamquam sensim

---

(1) Celsus Lib. IV. cap. 21.

plurium annorum spatio crescunt, certum tamen interitum patienti parant. Jam enim intelligendi colligendique facultas comminuitur et quum aegroti gravissime, sed inaniter se ipsos accusent, in summam animi aegritudinem adducuntur et tantum existit vitae taedium, ut saepissime manum sibi inferant. Musculorum denique imbecillitas tanta fit, ut aegrotus, etiamsi jaceat in lecto, langueat, nec libere situm mutare possit. Pulsus ejus justo durior, motibus vel corporis vel animi, qui quidem cordis palpitationes efficiunt, fit frequentissimus. Vultum prae se fert stupidum, torpidum, languidum; oculi in orbitas relapsi, circulo lurido circumdati, nitore et acie orbati sunt. Facies ipsa fit pallida, colore helvolo et specie senili. Capilli canescunt aut omnino defluunt. Functionibus cerebri dein magis laesis morbus in stadium transit secundum.

STADIUM PARALYTICUM.

Totum nunc corpus lassitudine et debilitate insigni corripitur, aegrotique conditio est miserrima. Neque enim adest, quod quidem contendit Horn (1), animi quaedam hilaritas propria spesque sanitatis recuperandae paene insuperabilis, qua praecipue excellunt phthisici et hydropici, sed summa animi anxietate agitati levissimis paene causis aegroti perterrentur. Perterriti autem pallescunt, obmutescunt, anhelant. Interdum etiam iracundia quaedam adest, praesertim tempore matutino quum aegroti insomni nocte peracta surgunt. Occupat autem saepenumero peculiaris quaedam forma hypochondriae aegrum, cujus quidem exemplum affert van Swieten (2). »Per integrum triennium, incassum ad-

(1) Guil. Horn de tab. dorsal. Berol. 1827. p. 8.
(2) Comm. T. II. §. 586.

hibita omni medela, in juvene ab hac caussa dolores miros per totum corpus vagos observavi, nunc cum caloris, nunc vero cum frigoris molestissimi sensu, sed imprimis in lumbis. Postea his doloribus parum imminutis tantum frigus sentiebat in femoribus et cruribus, licet ad tactum naturalem corporis sani calorem haberent, ut fervidissimis etiam aestatis caloribus foco assideret continuo.« Contemtores denique sui voluptates convictumque humanum fugiunt et nisi animo sunt fracto, manum violentam saepissime sibi inferunt. Virtus motoria hoc in stadio tantopere sublata est, ut pedes titubantes non amplius solo tollere possint, sed toto corpore in partem utramque vacillent saepissimeque collabantur, nisi aut baculis aut per duces sint sustentati. Membra tremunt et levissimo motu fit anhelitus: »*ἆσθμά μιν καὶ ἀσθενείη λαμβάνει αὐτόν* (1).«

Extremitates quoque superiores paralyseos participes fiunt, quam iidem antecedunt prodromi, qui paralysin artuum inferiorum, calor diminutus, motus difficiliores, lassitudo. Progrediente igitur paralysi sensus ille torporis extremitatum et inferiorum et superiorum augetur, sensibilitasque cutanea earum partium plane evanescit. Quum igitur paralysis ab ima medulla spinali ascendat ad partem superiorem, primum eorum nervorum vis, qui inferiore parte orti ad organa cavitatis abdominis accedunt, frangitur. Inde oritur summa alvi retardatio tantaque in ejus exoneratione difficultas, ut aegroti, fixo corpore superiore, omnem musculorum abdominalium vim intendere cogantur. Frequentissimis etiam flatibus vexantur et, quamquam alvum dejecerunt, tamen adest semper pressus quidam versus anum, sen-

(1) Hippocrates de morb. Lib. II. cap. 49.

satioque tanquam faeces retentae essent in inferiore recti intestini parte, ita ut suavi illo post alvi dejectionem sensu careant. Accedit urinae difficultas, quae sicuti alvi retentio in ea re sita videtur esse, quod praesertim nervi eorum musculorum, qui et faeces et urinam ejiciunt, debilitati sunt. Mox vero, quum musculi sphincteres illorum organorum debilitantur, incontinentia et alvi et urinae supervenit. Naturalis enim ille impulsus mingendi aut plane non adest, aut tam debilis, ut fluat urina, priusquam ab aegro sentiatur. Excernitur autem saepenumero urina hoc morbo laborantium gas ammoniacale, quod quidem et Home (1) adnotat, et in casu quodam, nuper dissertatione inaugurali descripto observatum est (2). Nonnunquam paralysis usque ad colon vel ad coecum adscendit, quo summa digestionis perturbatio efficitur. Vis liberos procreandi apud hos miserrimos homines plane exstincta est, partes pudendae, omnis turgoris expertes, corrugatae pendent nec ullo incitamento eriguntur. Humor autem, qui in exoneranda alvo et sub urinae missione veluti exprimitur, seminis nomine profecto appellari nequit, et potius e prostata provocari videtur, quum non prope fidem sit, veram genituram tam copiose excerni, ut utique fit in pollutionibus. Macies, quae antea in extremitatibus praecipue erat insignis, nunc totum corripit corpus. Progrediente dein paralysi ad superiores medullae spinalis partes, primum aegroti sensum quendam pectus et abdomen constringentem queruntur, tanquam cutis inde a dorso ad latus anterius angustior facta sit. Inde oritur respiratio difficilis, superficialis, dolorifica, sensusque ille plenitudinis ventriculi, praeci-

(1) Schmidt's Jahrb. 1834. Bd. III. p. 336.

(2) Exemplum tabis dorsualis epicrisi ornatum. Diss. inaug. auctore Jacoby. p. 15.

pue post cibos sumptos fit molestissimus. Sensus etiam nunc perturbantur; primum intrat oculorum hebetudo et nervosa debilitas, dein visus aut duplex aut dimidiatus, hemeralopia vel nyctalopia, denique amblyopia aut ipsa amaurosis. Accedit aurium gravitas et imbecillitas, imo etiam ipsa surditas et sensibilitas cutanea plane est sublata. Turbantur etiam mentis functiones; intelligendi colligendique facultas enim plane ademta, aegroti corripiuntur stupiditate aut fatuitate, donec perfecta extremorum paralysi morbus exeat in mortem. Hoc stadium aeque ac prius longius per tempus protrahi potest, neque semper in tertium transit, quia contingere potest, ut processus morbosus localis subsistat et vita servetur.

STADIUM FEBRILE.

Pollutionibus igitur illis nocturnis et diurnis, quibus quidem succus quidam vitalis et nerveus organismo detrahitur [*ἀφροδισιασμός ἐστιν ἀπόκρισις καθαρῆς καὶ φυσικῆς θερμότητος* (1)], quum tanta virium prostratio sit facta, ut semper in lectulo detineantur aegroti, febris hectica sub vesperam ardorque volae manus et plantae pedis accedit. Pulsus est frequentissimus et duriusculus, absunt vero sudores colliquativi. Non ita multo post autem febris typum intermittentem deponit, intrat saepissime febris nervosa lenta, oritur oedema pedum nonnunquam etiam manuum, profluviisque creberrimis vires aegroti plane consumuntur. Colliquationes illae per cutem et per intestinum saepe etiam conjunctae sunt cum haemorrhagiis. Juvenes plerumque hoc in stadio variis organorum respiratoriorum affectionibus, haemoptoë, tussi, phthisi pulmonali opprimuntur, vel incidunt in varias

---

(1) Paulus Aeginet. de re med. Lib. I. cap. 38.

mentis perturbationes et morte miseranda moriuntur. Interdum aegroti, macie absumpti vehementissimis cordis palpitationibus, pectoris oppressione et anxietate cruciantur et colorem subcaeruleum, praesertim faciei prae se ferunt Apud eos vero, qui aetate sunt provectiores, paralysis extremitatum inferiorum ad summum gradum pervenit; accedit decubitus, facillime gangraenescens, quo vita celerrime exstinguitur.

DECURSUS MORBI ET EXITUS.

Plerumque morbus decursum habet chronicum, ita ut per plures annos perduret. Sic E. Horn aegrotos tractavit, unum, qui per XIV annos, alterum qui per XX annos tabe dorsali laboraverat. Lentissimus progressus longissimaque morbi diuturnitas, Heimio teste, XL annorum erat. Accidit etiam, ut morbus non solum per tempus subsistere, verum etiam meliorem formam induere videatur. Sentit enim aegrotus majorem artuum praecipue extremorum inferiorum mobilitatem, evanescit fere vacillatio illa pedum, ita ut baculos, quibus antea inniti cogebatur, dejiciat firmamque animo concipiat spem sanitatis recuperandae. Sed manet illa in alvo exoneranda et in urina mittenda difficultas, maciesque totius corporis, aegroto inscio, in dies augetur. Sunt etiam, qui, quamquam terribilem hunc morbum se seminis dispendio nactos esse non ignorant, tamen meliore hoc rerum statu adducti consuetis se dent libidinibus, itaque interitum properent. Interdum autem aliquot mensium spatio morbus finitur. Rapidus hic decursus plerumque cernitur in juvenibus, quorum corpus seminis profusione quum per coitum, tum per onaniam est quassatum, vel qui ex acutis morbis paululum recreati, in prius vitium incidunt, vel quum accedat phthisis pulmonum exquisita

et febris hectica. Morbum in Italia, omnino in terris australibus celeriore vehi cursu, quam in terris magis ad septentriones vergentibus refert medicus quidam Italicus.

EXITUS.

Triplici modo morbus exire potest: aut in perfectam valetudinem, aut in imperfectam, in qua alia mala, ejus vi provocata manent, vel quum semel inter decursum sint orta, non amplius removeri possunt; denique in mortem. Hos igitur exitus breviter adumbremus.

Exitum in valetudinem plerique auctores aut in dubium vocant, aut omnino negant. Ita Horn, qui multos hoc morbo laborantes et observavit, »nullius, inquit, hucusque adhibitae medendi rationis prosper fuit eventus, ac ne lentum quidem, sed perpetuum paralyseos incrementum per longius temporis spatium retardare medicis contigit; morbum autem sese adeo sanasse, nemo profecto gloriabitur.« Cujus quidem auctoris, verbis quamquam summa fides habenda est, tamen ab altera parte satis multae exstant observationes, ab auctoribus fide dignissimis, uti a Schoenlein traditae, quibus res haud dubia delinquitur, nonnullos aegrotos, hoc morbo affectos, etiam in secundo stadio versatos, feliciter sanatos esse. Negari tamen nequit, hunc morbi exitum nisi prosperrima rerum conditione nos consequi non posse. Pendet enim res in universum ab aegroti aetate, natura et corporis constitutione, a vitae ratione, a spatio morbi ipsius, a gravitate harum causarum, quae vim in eum exercuerunt, ab illis denique affectionibus, quae concurrunt. Et tamen, quamvis prosperae sint omnes illae res et circumspectissima adhibeatur medendi ratio, reditus sanitatis tardissime et quidem sine crisibus progreditur,

facillimeque morbus vel minima genitalium irritatione fit recidivus.

Exeunte morbo in valetudinem imperfectam, hae corporis mutationes morbosae, quae inter ejus decursum ortae sint, subsistunt. Manet igitur paralysis non solum extremitatum inferiorum, sed aliarum etiam partium, e. g. genitalium, qua re impotentia virilis efficitur. Feminae, apud quas morbus non facile ad eundum gradum perducitur, quam apud viros, saepissime laborant irritatione systematis sexualis, nymphomania, hysteria. Viri praecipue incidunt in tetram hypochondriasin melancholicam, imo in veram maniam, aut in gravissimos intestinorum morbos.

Exitus denique in mortem. Oritur enim in dorso et in osse sacro decubitus gangraenescens, aut multa in cute ulcuscula erumpunt, quae non facile ad cicatrisationem perducuntur, quod jam Hippocrates (1) observavit; aut febris hectica cum diarrhoea et sudore profuso conjuncta, aut ipsa febris nervosa lenta marasmodes accedit, ita ut aegrotus, viribus plane destitutus sub deliriis, sub tendinum subsultu, sub crocidismo subito animam exspiret. Plurimi autem praegressa tussi pituitosa et leviori haemoptysi ad veram phthisin pulmonalem perveniunt, vel vehementissimis cordis affectionibus (2) cruciantur, donec alteratione medullae spinalis ascendente, pulmonum cordisque paralysi vita finiatur.

SECTIO CADAVERUM.

Quod ad anatomicam morbi naturam pertinet, omnes fere scriptores, ex quo tabidorum accurate institutae sunt

(1) Hippocrates de intern. affectionibus. cap. 14.
(2) Morgagni, Epist. XXVI. Nr. 15.

necropsiae, morbi causam proximam in atrophia medullae spinalis sitam putarunt. Quod quidem natura confirmatur. Itaque inferior medullae spinalis pars, quod attinet massam, ad trientem normalis circuitus ferme semper imminuta invenitur, succi et medullae expers. Nervi inde proficiscentes, praecipue hi, qui ad extremitates inferiores accedunt, molliores et tenuiores apparent et accuratius inspecti vagina tantum constituuntur. Substantia ipsa medullaris caudae equinae colorem amittit album, induit subflavum, squalidum, subviridem. Interdum nonnisi filamenta quaedam membranosa restant, in quibus neque substantia alba neque cinerea discerni potest. Quibusdam in partibus medulla spinalis constricta existit et nodosa (1). Morgagni (2) in eorum medulla spinali, qui diu hemiplegia affecti fuerant, totam partem lateralem, illi affectioni respondentem, quod spectat ad circuitum, valde imminutam invenit. In eadem epistola observationem Salzmanni affert, qui medullam spinalem hominis, paralysi extremorum inferiorum defuncti, in regione superiorum vertebrarum lumbarium plane exsiccatam, nervosque lumbales simili modo affectos vidit. Chaussier (3) hos nervos non modo atrophicos, sed etiam induratos vidit. Ollivier (4) alium quendem casum observavit in cadavere juvenis viginti annorum marasmo mortui. Substantia medullaris normali erat consistentia, sed ambitus dimidio minor quam sanae medullae, intumescentia lumbaris tantopore decreverat, ut medulla usque ad finem magis attenuaretur. Radices

---

(1) Otto, Lehrbuch der pathol. Anatomie. Bd. I. S. 442.

(2) Morgagni de sedib. et caus. Epist. XI. Sect. X.

(3) Chaussier, Traité de l'encephal. Ann. 1807. pag. 153.

(4) Ollivier, Ueber das Rueckenmark u. seine Krankheiten. S. 334.

nervorum lumbalium filiformes erant. In casu quodam medulla spinalis inde a decima vertebra thoracis deorsum emollita erat, neque tamen ullum inflammationis vestigium prae se ferebat, quae quidem mollities magnam partem ad nervos inde proficiscentes pertinebat; simul substantia ipsa plane atrophica inveniebatur. In cadavere hominis onania tabefacti medulla spinalis macilenta reperiebatur et quasi ex nervorum fibris contesta esse videbatur; ipsi nervi caudae equinae substantia medullari carebant, ita ut neurilema tantum superesset (1). Vacuum illud canalis spinalis, atrophia substantiae medullaris relictum, interdum sero impletum est. Sic Horn (2) sectione hominis tabe dorsali defuncti unciam fere seri in regione lumbali canalis vertebralis reperit; membranae medullae spinalis subrubebant, dura mater densior erat et durior. Tota medulla spinalis, praecipue autem pars inferior atrophica apparuit; substantia alba et cinerea, quod attinet colorem, omnino distingui non potuit, fasciculi caudae equinae tenuissimi et substantiae nerveae plane expertes. Ossa cranii admodum crassa erant; cavitas cranii multum aquae continebat, quae ex canali spinali eo pervenisse videbatur. In cerebro ipso substantiae corticalis et medullaris exactissime sejugatae inveniebantur, in cerebello substantia flava exquisitissima sub adspectum venit; fornix mollitus erat et corpus callosum striis transversis carebat; thalami optici, corpora geniculata et quadrigemina atrophica, nervi optici compressi et angusti. Omnia fere organa thoracis et abdominis pallida, flaccida et parva, ren tantum sinister hypertrophicus, pelvis renalis amplificata, membranae ve-

(1) Rust's Magazin Bd. XII. Heft 3. S. 476.

(2) Horn's Archiv. 1833. Heft I. S. 34

sicae urinariae crassiores. Plexus nervorum systematis gangliosi macilenti et duriores videbantur, ganglion semilunare tenuissimum existebat.

Alia sectione (1) haec inventa sunt. Medulla spinalis inde a medulla oblongata usque ad caudam equinam peculiari quadam tabitudine affecta erat. Namque non erat, ut plerumque observatur, substantia nervea consumta, ita ut neurilema collapsum et vacuum appareret, sed tela cellulosa, quae singulas nervorum fibras colligat, tantopere extabuerat, ut medulla spinalis tota longitudine speciem praeberet caudae equinae. In hac ipsa vero substantia nervea ad partem exsiccata erat et involucra fere vacua apparebant.

Quamvis igitur magna sit medullae spinalis atrophia, tamen nunquam similis mutatio observata est cerebri. Itaque Desmoulins contendit, in gravissima ipsa specie marasmi nunquam jacturam ejus ambitus observari, additque se nunquam diminutionem specifici ejus ponderis vidisse. Ex hac igitur re, quod cerebrum tantopere praevaleat prae omnibus organis, auctam illam irritabilitatem ducit, quae ultima chronicorum morborum stadia comitari solent. Memoratu quoque dignum est, in atrophiis cerebri reliquorum nervorum systema hypertrophicum inventum esse, unde praepollere videatur.

AETIOLOGIA.

Ex iis, quae de hoc morbo frequentissimo quidem medullae spinalis, sed parum adhuc cognito sunt observata, id patet, sexum potiorem et primum aetatis virilis dimidium creberrime submitti. Itaque morbus plerumque juvenes annorum XVIII. usque XXXV.

(1) Rust's Magazin Bd. XXII., Heft 3. S. 479.

eosque crebrius aggreditur quam feminas, in quibus praeterea aliae sunt causae nocentes. Maxima autem dispositio est eorum juvenum, qui tenera corporis constitutione, habitu gracili nimiaque quum totius corporis, tum partium genitalium sensibilitate praediti sunt, ita ut levissimis quibusque irritamentis offendantur. Hujus morbi autem tempore involutionis genuinam et sinceram naturam formamque non amplius exstare, ex mutationibus illis anatomicis et physiologicis, quae hoc tempore secundum naturam sensim evenire solent, intelligitur.

Quod ad potentiam nocentem sive occasionalem morbi causam attinet, ex nimia seminis jactura jam ab Hippocratis aetate morbum declaraverunt. Sunt quidem, auctore Schoenlein, qui exili habitu praediti, infirmaque valetudine usi, quamquam a teneris in libidinibus horrendis sese effuderunt et usque ad provectiorem aetatem coëundi cupiditatem manibus explent, tamen ne minimum quidem detrimentum patiantur, sed integram vultus et habitus speciem prae se ferant. Itaque Gaubius (1) »Discrepant tamen, ait, hoc virium genere homines etiam ejusdem aetatis inter se plurimum; alia vel modica venere languentibus aliis immoderatissima vix exhauriendis.« Objecit quidem olim Cullenus, tantam hujus liquoris in coitu et venere jacturam non esse, ut ex ea corpus tabescat atque feminas verum semen non profundere, nec tamen a morbo immunes esse. At meminisse oportet, quam pretiosus ille liquor seminalis sit, quam valde ad corporis virilis robur necessarius. Recte igitur Avicenna (2) »Si quid spermatis, ait, supra, quam natura toleret, coitu profluat, obest magis, quam si qua-

(1) Gaubius, Institution. patholog. §. 562.

(2) Avicenna, Canon. Lib. III. Fen. XX., tract. I., cap. 33.

dragies tantundem sanguinis emanarit.« Qua quidem seminis jactura corporis et animi vires maxime infringi, bene judicavit Gaubius (1) his verbis: »Ex nimia venere lassitudo, debilitas, immobilitas, incessus delumbis, encephali dolores, convulsiones sensuum omnium, maxime visus hebetudo, coecitas, fatuitas, circulatio febrilis, exsiccatio, macies, tabes et pulmonica et dorsualis, effeminatio.« Itaque quum jam constet, omnino seminis profusionem inter praecipuas morbi causas recipiendam esse, onania, turpissimo illo juventutis flagitio, tabem dorsalem certissime provocari, in eo omnes consentiunt auctores. Nulla fere est causa nocentium, qua tam graviter infestetur natura et vita organismi, quam cupiditatibus praeter naturam expletis. Et tamen frequentissime illud vitium exercetur. Praeclare igitur Gruner (2): »Malus et insidiosus morbus est, qui nobiscum habitat, domi forisque est, nobiscum rusticatur, vigilantes stimulat, dormientibus blando vultu obrepit, miseros vel invitos ad se trahit, vires corporis ingeniique hebetat, minuit, consumit et tandem lenta tabe perire jubet.« Quibus quidem masturbationibus organismo ea potissimum aetate detrimentum summum inferri patet, qua omnes, quae adsunt, vires in formando et nutriendo corpore consumuntur. Itaque hos praecipue ad interitum ruere videmus, qui aut ab ineunte adolescentia, aut infirma valetudine usi, aut e morbo recreati, huic pravissimae consuetudini se dederunt. Sed jam quaeritur, quomodo fiat, ut tam facile et celeriter Venere emendicata manibus noster morbus provocetur, quippe qui rarius sequatur coitum normalem? Causa autem minus in majore

---

(1) loc. citat.

(2) Gruner, Diss. de masturb. pag. 15.

phantasiae agitatione verti videtur, qua opus est, ut obscoenas illas cogitationes, coitu manibus quasi coacto ad effectum adducat onanista, sed ex ea re potius proficiscitur, quod onanista, quo arctius vinculis funestissimae illius consuetudinis est adstrictus, eo pertinacius normali coëundi generi se subducat. Quae quum ita sint, juvenes onaniae dediti, quum inter puellas vel feminas versantur, insigni quadam timiditate excellunt: virium enim fractarum incipientisque impotentiae conscii, non eam se ex normali coitu voluptatem percipere judicant, quam manipulationibus suis provocare solent. Accedit, quod hoc vitium plerumque a pueritia exercetur eoque plus seminis profunditur quam coitu, quippe cui non tam frequens occasio detur. Accedit insuper, quod juvenibus cum una et eadem puella frequentissime coëuntibus facilius creatur satietas quaedam quam onanistis, qui foedis suis manipulationibus, suavissimas, quas volunt, imagines subjiciunt, eaque ex re novos sibi stimulos sumunt. Onanistae porro, quoqunque tempore, sine ulla hominum attentione liberique a sumtibus et sine timore infectionis consuetae libidini se dare possunt. Constat igitur jacturam seminis in homine rebus venereis quam maxime dedito minime adaequare seminis dispendium strenui, ut ita dicam, onanistae. Quod idem experientia confirmatur, pollutiones enim diurnae frequentissime sequuntur onaniam, rarissime autem observantur post coitum modum excedentem.

Veruntamen alii affectus et partium genitalium et medullae spinalis morbosi existunt, quibus perpetua illius systematis irritatio provocetur. Ita J. Frank (1) saepius se observasse dicit, vehementem etiam illum pue-

(1) J. Frank, Prax. med. P. II., Vol. I., Sect. II. p. 57.

rorum impetum in venerem potius symptoma esse affectionum medullae spinalis, quam auctorem, cujus rei exempla quaedam affert. Huc quoque referendus esse videtur molestus ille sensus, quem onanistae, quum caput movent, in profunda cervice percipiunt, quique irritationem quandam medullae oblongatae indicare videtur (1). Jam Celsus (2) de pollutionibus refert, quae medullae spinalis laesionibus oriuntur. Suppressis haemorrhagiis recti et urethrae etiam pollutiones existere dicuntur. Hollerius (3) somnia obscoena vires consumentia post suppressum fluxum haemorrhoidum observavit. Lallemand (4) quaenam ratio inter pollutiones et affectiones apparatus uropoëtici intercedat, bene disposuit. Nam ut renes et testiculos, ita vesicam urinariam et vesiculas seminales non raro morbo communi laborare vidit. Pollutiones diurnae fere semper cum catarrho vesicae urinariae chronico consociatae erant. Contractionibus vesicae etiam contentum vesicularum seminalium dejicitur. Jacturam seminis recidivam frequentem et urgentem mingendi nisum antecedere plerumque observatur. Interdum incubus cum pollutionibus exhaurientibus conjunctus est, eoque magis vires conficiuntur (5). Frequenter etiam superveniunt illae viris arthriticis, praesertim quum arthritis medullam spinalem aggressura sit. Interdum nocturnae pollutiones inter decursum acutorum morborum febrilium observantur, neque raro aegroti, e

---

(1) L. Martinet, Recherches sur l'inflammation de l'arachnoide cérébrale et spinale pag. 547.

(2) Celsus de med. Lib. V., cap. 25.

(3) De morb. intern. Cap. 56.

(4) M. Lallemand, Des pertes seminales involuntaires Pg. 357.

(5) J. Frank l. c. P. II., Vol. I., Sect. 1, p. 416.

typho convalescentes tanta systematis sexualis irritatione afficiuntur, ut perpetuo masturbationes exerceant, itaque certum sibi parent interitum.

Topicis etiam affectionibus urethrae, vesicae urinariae, glandulae prostatae, intestini recti pollutiones commoveri possunt. Frequenter occurrunt, si calculi adsunt in vesica, vel si urina retinetur (1). Pauli (2) multum de pollutionibus ex his causis ortis observavit.

Venimus nunc, gravissima tabis dorsalis causa descripta, ad reliquas causas nocivas. Ac primum quidem illud causarum genus memorandum est, qnod vehementes diuturnas inferiorum extremitatum contentiones musculares continet. Quare morbo saepe tentatos videmus homines longa atque difficillima itinera facere consuefactos, deinde erecto corpore praesertim stando usque ad summam lassitudinem negotiis vacare solitos, tum diu multumque equitantes, praesertim cum accedit excessus in venere. Sic morbus saepius cernitur in nuntiis, in lecticariis.

Maxime etiam ejus incremento favere videntur cura et sollicitudines aliique animi affectus deprimentes, nimiae mentis contentiones, praesertim continuis vigiliis conjunctae, quare saepius juvenes literarum studiosos, si rebus venereis immodici deditis sunt, morbo correptos videmus, quia vires eorum organicae duplici modo occupantur et consumuntur.

Aliud genus causarum nocentium amplectitur profluvia. Itaque non raro vehementibus urethrae et intestini recti haemorrhagiis, scilicet phallorrhagiis, metror-

---

(1) Sennert Instit. Lib. IV., P. 1., Cap. 3.

(2) Heidelb. clinisch. Annal. Bd. VI., Heft. 1, S. 110.

rhagiis, menstruationis fluxu nimio etc. morbus producitur.

Auctore Hufeland (1) tabes dorsalis etiam symptomatice congestionibus ad medullam spinalem, myelitide chronica, nec non metastasi rheumatica et arthritica procreatur. Addit autem, simul seminis dispendio opus esse. Quamquam negari nequit, illis morbis et metastasibus specificis symptomata afferri simillima iis, quae tabem dorsalem comitantur, cujus generis sunt paralysis intestini recti, stupor et debilitas extremorum inferiorum in diversis myelitidis formis: tamen ab altera parte est concedendum congestionibus illis potius statum medullae spinalis effici hypertrophico processui similem, quam atrophiam oriri. Quod quidem confirmatur et physiologicis et anatomicis observationibus. Praeterea diagnosis myelitidis hoc ipso tempore nondum firma est et multum, quod est apud superiores auctores, novissimis temporibus plane aliter reperitur. Itaque saepissime accidit, ut quae symptomata vivente aegroto morbum satis aperte significare judicabantur, ea post mortem plane aliam affectionem comitata esse cognoscerentur.

Nec praetereundum esse videtur id, quod observavit Albert de Haller. Videbat enim laesionibus uteri non gravidi multum conferri ad morbum gignendum; idem animadversum est post exstirpationem uteri carcinomatosi.

Secundario modo dislocationes et exostoses vertebrarum, concrementa ossea, callositates membranarum medullae spinalis, ligamentorum intervertebralium intumescentiae, hydatides, aneurysmata, aliique tumores, liquores in canalem spinalem effusi, medullam compri-

---

(1) Encheirid. med. Pg. 130.

mere et partem sub loco presso sitam atrophicam reddere possunt. Huc referendum est, quod Truestedt(1) symptoma tabis dorsalis observavit, quae per sarcoma medullare durae matris medullae spinalis exorta erat. Pars medullae infra illum tumorem sita, tenuissima, emollita et omnino fere resoluta erat. Frank tabem dorsalem etiam commotionibus et contusionibus regionis lumbalis nonnunquam produci contendit.

Ceterum tabis dorsalis causae ita commixtae conjunctaeque esse solent, ut plerumque difficillimum sit, cui potissimum rei morbi culpa adsribenda sit, didijudicare. Huc enim referenda sunt vita soluta, libidinosa, esus ciborum nimis nutrientium, irritantium et aromaticorum, abusus spirituosorum, quippe quibus sanguinis congestiones ad genitalia moveantur, imprimis si imaginatio exaltata, libidinosis iconibus referta accedit, vehementia refrigeria, immodicae saltationes, alia. Valde autem dubius sum, utrum blennorrhoea urethralis diuturna, vehemens, profusa inter morbi causas occasionales recipienda sit, necne, quum satis certis argumentis nondum confirmatum sit, quod veteres seminis dicant profluvium nil esse nisi blennorrhoeam, morbumque hoc symptomate insignem veram tabem dorsalem. Sic e. g. Aretaeus (2) in describenda gonorrhoea dicit, aegroto, sive dormiat, sive vigilet, semper profluere semen et quidem sine ullo libidinis sensu (*ἤν τε εὕδῃ, ἤν τε ἐγρηγορέῃ ἀνεπίσχετος ἡ φορὴ, ἀναίσθητος δὲ ἡ ῥοὴ τοῦ γοὕνου γίνεται*).

Quaeritur nunc, quum constet, etiam feminas tabe dorsali corripi, quae sit hujus causa, quum inter coitum non tam pretiosum liquorem secernant quam viri.

(1) Mediz. Vereinszeitung. 1833. Nr. 13.

(2) Aretaeus de caus. et sign. diuturn. Lib. II., Cap 5.

Sunt quidem, qui feminis quoque pollutiones tribuant, afferentes interdum apud feminas impudicas, si cogitationibus libidinosis indulgeant, vel aliquo modo irritentur, liquorem quendam mucosum per intervalla e vagina emanare. Concedendum sane est, mulieribus quoque noctu inter somnia obscoena majorem muci profusionem supervenire posse, quas nocturnas pollutiones jam Aristoteles (1) memorat; sed facile perspicitur has dejectiones mucosae neutiquam comparari posse cum pollutionibus virorum. Nihil enim aliud sunt, nisi secretio quaedam pathologica vaginae et superficiei uteri, membrana mucosa obducti. Quum enim apud feminas systema sexuale pro earum natura inter omnia systemata quasi praepolleat, consentaneum est, quaque hujus irritione eas maxime affici. Quo fit, ut partes illae aut coitu, aut onania, gravissimis quidem irritamentis stimulatae, magnopere turgescant itaque, quo fortior accedat irritatio, eo majorem humoris lubrici copiam secernant. Quae quoniam ita sunt, quum totus muliebrium genitalium apparatus sic a natura sit comparatus, ut, quae in eum agant potentiae nocivae, locales procreant morbos, productivum, congestione in haec organa facta adjutum characterem prae se ferentes, facile est intellectu, detrimentum, quod feminae ex nimio coitu vel onania capiant, proxime in finibus illius apparatus contineri, inde vero pro arcta ejus cum toto nervorum systemate conjunctione facillime in hoc genus reflecti. Quare feminas qui masturbatione corpus polluunt, saepissime hysterismo, nymphomania, pertinacibus genitalium blennorrhoeis, hypertrophiis tam ovariorum, quam uteri, aliisque organisationibus parasiticis, nunquam fere tabe dorsali corre-

(1) Histor. animal. Lib. X. cap. 6.

ptas videmus. Sed aliud est genus potentiarum nocivarum. Prae ceteris hic locum habent graviditates intervallis brevibus sese excipientes, praesertim puellarum, quae aetatis maturitatem nondum nactae sunt, vel si partus vehementi cum sanguinis profluvio junctus est aut magna cum difficultate perficitur. Saepenumero etiam morbus invadit eas feminas, quae infirma corporis constitutione praeditae, robustis infantibus mammam justo diutius praebent, vel quae inter lactandum gravescunt aut menstruant.

VITA.

Ego Henricus Gustavus Dammann, confessioni evangelicae addictus, anno MDCCCXVIII die septimo m. Junii patre Friderico Guilelmo, matre Joanna Luisa e genteThier, Hettstadii, urbe Mansfeldensi, natus sum. Primis litterarum elementis imbutus vitaeque annum duodecimum agens, in gymnasium Islebiense, quod Rectore jam beato Siebdrat florebat, receptus sum idque per annos sex frequentavi. Deinde rei familiaris causa gymnasium et quidem secundum ejus ordinem reliqui, et paedagogium regium Halense, quod etiam nunc floret Rectore et Professore Niemeyer, adii ibique per biennium et semestre litteris operam navavi. Examine maturitatis absoluto, m. Novbr. a. MDCCCXXXVIII

almam Fridericianam petii et a Prorectore magnifico Ill. Laspeyres civium academicorum numero adscriptus, a Decano spectatissimo Ill. Krukenberg in album facultatis medicae relatus sum. Per triennium ibi versatus, m. Novembri anni MDCCCXLI in academiam Berolinensem me contuli, ibique Rectore magnifico Ill. Dieterici, Decano spectatissimo Ill. Juengken in civium academicorum numerum receptus sum. Per quadriennium hoc hisce praeceptoribus gavisus sum:

Halae: Ill. D'Alton de anatomia, de physiologia, de anatomia comparata, de arte cadavera rite dissecandi; Cl. Moser de anatomia; Ill. Germar de mineralogia; Ill. Kaemtz de physice et de meteorologia; Ill. Burmeister de zoologia; Ill. de Schlechtendal de botanice; Ill. Gerlach de logice et psychologia; Ill. Friedlaender de materia medica; de chemia Ill. Schweigger et Cl. Steinberg, Ill. Krukenberg de pathologia et therapia tam generali quam speciali; Ill. Blasium de chirurgia, de akiurgia, de fracturis et luxationibus; Ill. Höhl de arte obstetricia.

Scholis clinicis interfui medicis, chirurgicis, obstetriciis Halae: Ill. Krukenberg, Ill. Blasius; Berolini Ill. Schoenlein, Ill. Dieffenbach, Ill. Juengken, Ill. Busch, Cel. Romberg.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, maximas quas possum gratias ago, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico absolutis, nec non examine rigoroso rite superato, spero fore, ut dissertatione et thesibus palam defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Ulcus syphiliticum sola ex forma certo dignosci potest.
2. Liquorem amnii foetum nutrire contendo.
3. Synchondrotomia plane est rejicienda.
4. Secundus, qui auditur, cordis ictus valvulis perficitur semilunaribus.
